

17
D. F. G.

DISSERTATIO GRADUALIS

INCREMENTORUM

SCIENTIÆ CHEMICÆ

REMORAS,

LEVITER ADTINGENS,

QUAM,

*Consens. Ampliss. Facultatis Philosoph. in Regia
ad Auram Academia.*

M O D E R A N T E

VIRO AMPLISSIMO atque CELEBERRIMO

**D_N. PETRO ADRIANO
GADD,**

DIRECT. Oecon. Reg. Chemiæ PROFESS. Ordin. Acad. BIBL.
nec non Acad. Scient. Soc. M^EMBR^O.

Publico Examini modeste subjicit

ALUMNUS REGIUS

CAROLUS AVELLAN,

TAVASTIA-FENNO.

In AUDIT. MAJORI, Die XVI, Maii,

Anni MDCCCLXIII.

H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.

*Georgij Stanis
Lundström.*

S:Æ R:Æ MAJ:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO
GENEROSISSIMO atque NOBILISSIMO DOMINO
**D^N. UDALRICO
WALLENSTIERNA**
Per Nomarchiam Careliensem Judici Provinciali,
MÆCENATI MAXIMO.

Nomini Tuo Nobilissimo, Patrone Summe, exiles has meditationes consecrans, curas Tuas importune forte interpellare quod sustineam; audacter equidem nimis aut dicam impudenter a me facium esse haud diffiteor. At Nobilissime Domine, tueor me favore Tuo incomparabili atque benivolentia singulari, quæ magnetis instar devotum meum ad Te traxit pectus. Quare devotissime simul oro atque obtestor, Velis incomtas has lineolas admittere comiter iisque impertiri aliquot radios Tui, ut ita dicam, solis.

Insti-

*Institutionem Carissimorum Tuorum pignorum,
quod non ita pridem meæ qualicunque curæ demandare
baud sis dignatus, utpote magnæ gracie atque favo-
ris eximii documentum habui; habebo vero semper at-
que agnoscam. Quæ autem ne gravis & onerosa sit,
efficiunt Tua consilia, efficiunt quoque Filiorum Tuorum Nobilissimorum dotes virtutesque præclaræ. Quippe non fallunt temere natæ feliciter indoles. Surgunt
in ortus suos generosa semina. Jam vero etiam pro
summis illis beneficiis, quibus me, Patrone Gratiissime,
cumulaisti summis, eo ipso temporis spatio, quo in
Domo Tua Nobilissima versari mihi licuit, grates perso-
vo devotissimas. Reliquum est, precari DEum immor-
talem, ut Te, Generosissime Vir, & fulcrum & decus
Patricæ atque in primis justitiae patrociniū, ut & Do-
mum Tuam inclytam perpetuo tueatur & servet.*

**GENEROSISSIMI atque NOBILISSIMI
NOMINIS TUI**

clens devotissimus

CAROLUS AVELLAN,

MALLEA AULORUM

Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
DN. MAG. MARTINO
TOLPO,

Ecclesiaz, quæ Deo in Kylo congregatur, Pastori Vigilantissimo,
Fautoris atatem rolando.

Quæ Vir Plurimum Reverende atque Praclarissime, in me extare voluisti Favoris Tui documenta, quæ beneficia; tanta omnino fuere, quanta unquam concipi possunt maxima. Rationem vero illorum jam non inibo; quippe quod facere supra vires positum est. De ipsis vero dum cogito, idem mihi evenire sentio, quod lignatoribus solet accidere, qui in ingentem delati silvam, hærent dubii, & tantum materiae quam nocent undique, deliberant secum, cui potissimum sibi ferum intentent. Neque enim quid primo mirer, quid secundo prædicem, quid omnino vel dicam fane vel taceam, dispicio satis. Unico saltem verbo hoc referam, scilicet, quod Tu, Vir Praclarissime, me inopia ad incitas fere redactum sublevaveris meque in æs Tuum incidere passos sis. Quare mentem omnino meam tenes Tibi obstrictissimam. Et in affectu quidem gratissimo nemini ulli mortalium, audacter loquar, unquam concedam. Peto autem abs Te, Vir Praclarissime, velis innumeris beneficiis jam novum hoc addere, ut his pagellis apud Te vel aliquem benvolentæ concedas locum. Ad omnis felicitatis statorem pro perenni Tua in columitate, in Patriæ, Ecclesiaz Tuorumque decus atque ornamentum, suspitia fundere perpetua, nunquam intermittam. Permansurus,

Plurimum Rever. atque Praclar. NOMINIS TUI

zumillioeb. assis.

MAJESTATIS SUÆ JURIAQ

cultor humillimus
CAROLUS AVELLAN.

etiam in canticis ab aliis agitur, admodum in
eius motione, sive soliloquio, modulatorum et
temporum sonoribus. Hoc scientiarum situs
et studiorum mobilis oros, sicut in manu
bibit, siue modo certe, et exigitur, ut rite
etiam in aliis, etas vel regnum, et studiorum seruo-

S. I.

uemadmodum singula tempo-
rum intervalla sua habuere stu-
dia, ita exinde factum, ut non
nulla quovis tempore minus fue-
rint in deliciis. Non vero mi-
randum talem fuisse statum tem-
poribus antiquioribus, quum etiamnum de nostris
idem fortassis judicare liceat. Interea tamen ad
tantum fastigium, quantum nusquam ante, jam
pervenisse scientias generatim consideratas, nem-
inem non concessurum existimamus. Qui vero hu-
manæ infirmitati vel paulisper attenderit, is mul-
ta prorsus esse obstacula, quæ impediunt quo mi-
nus ad summum culmen nusquam adscendere que-
ant, haud difficulter perspiciet. Adeo namque an-
gusti sunt intellectus humani limites, ut non omni-
um, imo ne plurimarum quidem rerum sit capax.

A

Unde

Unde fit, ut cognitio humana, etiam maxima, im-
 bellis adeo sit atque vacillans. Certe haud raro
 etiam accidit, mortales in perplurimis ex vero tra-
 mite absque sua culpa longissime aberrare. Quod
 quidem omne sanguidæ intellectus vi adscriben-
 dum censemus. Magis vero dolendum, in societa-
 te illa mortalium etiam multos dari, quorum in
 litteris perversa est voluntas. Hi ipsi volunt qui-
 dem finem studiorum, media vero eidem inservi-
 entia prorsus negligunt. Sic etiam omnia studia
 mente vagabunda pervolentes, neque memores,
nos non omnia posse omnes; nullos utiles faciunt pro-
 gressus, sed scientiarum incrementis quam maxime
 obstant. Cujus quidem rei veritatem satis com-
 probat tristis experientia. Magnum deinde etiam
 scientiarum impedimentum latet in vulgari illo pro-
 verbio: *ars longu, vita brevis.* Deprehendere ete-
 nim licet, virorum de re litteraria meritissimorum
 quorum in variis scientiis variis fuerunt progressus,
 inventa, quæ certo sperare ab eorum industria li-
 cuisset, dum brevi adeo abripiuntur, desiderari.
 Ut jam plures rationes, quæ huc conferunt, brevi-
 tati studentes taceamus. Hac vero occasione im-
 primis operæ primum duximus, de impedimentis
 Chemiæ nonnulla adserere. Hoc meditantibus,
 occurrit illud Horatii: *Sumite materiam, vestris, qui
 scribitis aquam viribus, & versate diu, quid fer-
 re recusent, quid valent bumeri.* Hanc contra ad-
 monitionem nos satis peccare, dum ipsa dicta ma-
 teries imbecilles longe superet vires, certum esset;
 nisi

ni si simul de Tuo, Lector Benebole! favore atque
adspicatu benigno essemus persvasi; qua quidem de
re, Te enixe rogatum volumus.

Ut itaque ordine procedamus, primum impe-
dimentum speciale Chemicæ, in ingenti subjectorum
numero constitutum esse existimamus. Subjecta
autem ipsius, sunt omnia corpora, in tribus re-
gnis Naturæ occurrentia, tam quoad naturam, mix-
tionem, quam effectus. Quum horum differentia
pro diversis respectibus latissime pateat, neque mi-
rum, multum omnino illam secum ferre difficulta-
tis. Quæ vero non ita facile removeri potest. Ne-
mini namque tantum inest capacitatis atque inge-
nii, ut hanc ipsam perspicere satis queat & suffi-
cienter nosse, quomodo in vario statu considerata
sese habeant corpora, nedum penitus eorum in-
dolem & effectus rimari. Est enim horum tanta
discrepancia, ut nobis quam sæpiissime haud inve-
stigabilis sit. Pauciores etenim ejuscemodi existunt
corporum species; quarum ita fixa manet semper
ratio, ut non quoad varias affectiones etiam ad
alias mixtiones queant applicari. Et multa adhuc
in profundis esse, nobis ignota, hoc vero nemo
est qui negare audeat. Deinde etiam horum objec-
torum diversus usus, & applicatio ad easus specia-
les in œconomia privata, quatenus ex corporum
analysis vel synthesis dependet, multam parit mole-
stiam.

stiam. Prout namque (ut modo monuimus) mixtionum indoles plane est diversa, quæ non uno aut alio modo sed etiam specie pro tribus Naturæ Regnis variat; ita non potest non corporum usus hinc emergens esse diversus atque perspectu diffūcillimus. Denique hoc loco non nihil de imitamentis artis addere, minime e re esse videtur. Quamvis enim ars in multis multum valeat, imo naturæ quoque præ polleat, tamen ejus ex hac maxima est dependentia. Imo vero etiam artem in plurimis nihil quidquam posse efficere, ne dicam naturam imitari, certum est. Ex quibus omnibus, illud quod adtulimus, maximum esse Chemiæ impedimentum, satis adparet.

§. III.

Perversa methodus docendi Chemiam, quæ scientiæ non nisi maximo est impedimento, nobis jam notanda venit. Antiquissimis temporibus variis depravatis modis hancce scientiam fuisse propositam atque enarratam, certissime constat. Huc haud incommodè refertur hieroglyphica illa docendi methodus, quæ quantum secum tulerit inopportunitatis, neminem in arte versatum latere potest. Judicatu namque est facillimum, artem quandam, ubi prorsus occultata habetur, exigua imo adeo nulla incrementa capere posse. Quum vero hæc omnino fuerit Chemiæ status, dum apud Ægyptios acriter alioquin exercebatur; neque mirandum ipsius

psius in tali casu immutatam mansisse faciem. Et signa etiam adhuc hodie a recentioribus usitata, non sine omni limitatione adhibenda esse existimamus. Nostro etenim judicio, nihil aliud quam molestiam ac tedium ex se pariunt. Præterquam enim, quod propter magnum illorum numerum difficillime a se invicem queant internosci, fieri quoque potest, diversas sæpiissime res iisdem signis a diversis esse denotatas. Unde nihil aliud quam confusionem maximam resultare patet. Recentiorum porro Chemicorum demonstrandi pruritum atque fastuosum conatum condendi systemata in Chemia, minimum neutiquam scientiæ nostræ nobilissimæ adtulisse detrimenti, censendum est. Hujus etenim studium, prout quam maxime requirit plurima eaque specialia & certa experimenta; ita e contrario omnes vanas speculationes, hypotheses & figmenta, de mathematica particularum minimarum figurabilitate, aliaque hisce similia adspersatur. Ut adeo multi, pro libitu & ex suo cerebro phænomena naturæ in Chemia explicantes, parum de observationibus & experimentis industria factis solliciti, nonnisi scientiæ quam maximam vim inferre potuerint. (a)

(a) Inter alios Bernoulli, Swedenborg & Baker ex dicta particularum minimatum figurabilitate in corporibus, operationes Chemicas fastuose demonstrare & deducere conantur. Et Guilielmini in suo libro de salibus, pramissa dicta particularum minimarum figurabilitate, omnes Chry stallisationes Geometrice explicare, infelici successu annis est.

¶ 6 (8)

Defectis librorum atque instrumentorum antiquissimis temporibus, incrementis scientiae Chemicæ quantum detraxerit, dispiciendum nobis hoc loco est. Satis superque per experientiam nobis constat, nos ipsos omnes res minimæ posse experiri, sed e contrario nostra ex aliorum prius factis certis experimentis deducere debere. Si vero accidat, aliorum minus nobis suppetere scripta, fieri quoque aliter non potest, quam progressus nostros exiguos prorsus esse futuros. Et quum verissimum omnino sit, scientiam Chemicam hujusmodi defectu pristinis temporibus laborasse; dubitandum neque est, multum ipsi exinde redundasse impedimenti. Plura inter hujus rei testimonia illud utique notatu dignum censemus, quod tempore Diocletiani libri Chemicci ipsius jussu deleti fuerint. (a) Quo facto non potuere non multa in lucem redacta prius, in suam pristinam ignorantiam revolvi. (b) Quod vero jam de librorum defectu dictum est, idem quoque de instrumentis Chemicis valet. Horum quanta sit necessitas, quantumque ex illorum recta adlicatione vel usu dependeant operationum successus; nemo non harum rerum peritus, facile inveniet. Neque vero minimo loco habenda est difficultas exinde resurgens, quod sumtus maximi requirantur ad operationes Chemicas. Quemadmodum namque impossibile est scientiam quandam capere posse incrementa, ubi cultores ipsi desint, si vel maxima foret sumtuum copia; ita pariter

374

absurdum esse atque impossibile, cultores ejusdem
vel nobilissimæ scientiæ posse proficere, si defectu
sumtuum necessariorum laborent, quisque haud dif-
ficerter intelligit. Et nobis jam cum hoc loco in-
primis de Chemia sit sermo, haud inconvenienter
urgemus, multum omnino eidem ex minori quam
par est impensarum suppetentia, extitisse remora.
Laboratoria Chemica, recentiorum sunt munifi-
centiæ signa.

(a) *Suidas*, qui seculo vixit decimo in voce *χημεία*
scribit, Diocletianum jussisse comburendos libros Che-
micos, ob Ægyptios nova molientes contra Romanorum
imperium.

(b) Apud Græcos, Arabes & statim post tempora Pa-
ratelii quam plurima jam quidem innoverunt Chemicorum
scripta. In *Petr. Borelli Bibliotheca Chemica*, etiam exhi-
betur Catalogus librorum Philosophicorum Hermericorum,
in quo quater mille Chemici recensentur, sed hi omnes vel
Hieroglyphico vel Cabballistico dicendi genere usi sunt, &
nihil sere aliud, quam aliquid Alchymici sapient.

Dolet respublica litteraria priscorum non mi-
nus quam modernorum quorundam Chemicorum
insaniam; qui in alchemiæ spinosis vallibus potius,
quam Chemicæ fertilissimis varetis sua maluerunt
quærere otia. Quamvis enim studium Alehemium
suo sese commendet usu, interim tamen cum Che-
miam in genuino suo ambitu minime absolvit,
Chemicæ nunquam est æquiparandum. Quin po-
tius fastuosum ejus studium huic multum adferre
detri-

detrimenti censendum est. Quum enim Alchemia in primis in vilioribus metallis in quævis nobiliora convertendis occupata sit; maximæ adhibendæ sunt cautiones, circa ipsius exereitium. Præterea multis etiam ineptiis atque fraudibus involuta sunt plurimorum in hacce arte experimenta, quæ ipsius cultoribus, atque adeo scientiæ Chemicæ, non possunt non magnæ pernicie esse. Et adhæc exiguum prorsus lucrum abhinc accedere videtur, ut vix ullam mereri queat adtentionem. Tota namque alchemia quoad maximam partem in eo collocata est, ut aliquod metallum, ex sordibus aliquo modo purgatum, purius reddatur vel ex forma calcis reducatur.^(a) Quare ut quis magnos sumtus vel labores huic Alchemico impendat studio, neminem jure statuere posse existimamus.

(a) Kunckelius existimat se produxisse Argentum, quando Pyriten Arsenicosum solverat spiritu nitri, facta saturatione cum creta atque deinde cupellando examinato. Sed forsan in Plumbo, quo in Cupellatione usus est, jam aliquid Argenti delitescebat. Ex argilla & oleo lini Becherus ferrum quoque producit, sed hoc experimento calx ferri addito Phlogisto tantum reducta fuit.

§. VI.

Antiquorum porro Chemicorum invidiosa ac superstitionis tæcituritas, Trivialium vero jactantia & avaritia, odia idiotarum sacerdotum^(a) & reliqua id genus hominum vitia, impedimentis Scientiæ Chemicæ jure meritoque adnumerari debent. De hisce omnibus satis superque testatur, totius

Philo-

Philosophiæ Barbaricæ facies. Quanto vero Chemicæ fuerint damno atque contemtui, haud difficile est intellectu, & jam breviter solum ostendemus. Nam scilicet tantum ob causam Antiquiores Chemici, in primis vero Sacerdotes Ægyptii, scientiam hanc arcanam atque clandestinam reservare studuerunt, ut vulgo & alienigenis ad interiorem ipsius cognitionem, nullus fere pateret aditus. (b) Hinc vero factum est, ut multa obscura atque intricata, imo etiam falsissima, pro veris haberentur. Tali quoque astutia aliis, quibus multo laudabilius studium hocce egregium excolendi fuisse mens, omnis plane abrepta est occasio. Neque vero multo minus malum, ex aliorum jactantia ac spe nimirum lucri, Scientiæ Chemicæ accessit. Si enim quod aliud, certe hoc quam maxime studium ejuscmodi respuit industriam, quæ præcipue divitias ac honores captandos respicit. Quippe quæ agit, ut multa singularia ac prorsus inutilia experimenta instituantur multaque peregrina ad scopum haud pertinentia sæpius inferantur. Et hæc quidem omnia Scientiæ valde noxia fore, quis non intelligit?

(a) Exemplum hujus rei fatis dilucidum extat in *Rogerio Baconi*, Chemicæ quoddam Anglo, in quem sacerdotum pontificum, tantummodo propter summam ipsorum infelicitatem, maximæ erant calumniæ; adeo ut magicas illam coluisse artes venditarint. Imo eo invidiæ in eum processerunt, ut ipse Papa Romanus Baconem, quamvis innocentem, devovendum curaverit. Quemadmodum tradit *Ant. Woot* in *Ant. Oxon.* T. I. P. 136, seq.

(6) Memorabile prorsus est Antiquiores illos Chemicos arti suæ abscondendæ tanto nisu incubuisse, ut vel cum vitæ periculo initiatos juramento obstringerent prius, quam mysteriis illorum interesse ipsis fas esset. Qua de re agit *Boricibus* Cap. III:ti.

§. VII.

Commemorantibus de incrementorum Scientiæ Chemicæ Remoris, nobis, antequam finem huic levi opusculo imponimus, variæ illæ opinions tam antiquiorum quam recentiorum de Principiis Chemicis, sese objiciunt. An vero hæ ipsæ Scientiæ quæ pue obesse potuerint, nostrum est dispicere. Quod quidem adfirmare, nulli dubitamus. Ex antiquioribus Arabes & Saraceni, sulphur atque mercurium elementa quorumlibet esse corporum statuebant. Addebat his seculi decimi sexti Doctores Chemicæ, inter quos in primis Paracelsus, novum aliquod, salis nomine insignitum. Postea vero diversorum in re hacce, diversa fuere placita. Alii enim aquam unicum, alii acidum atque alcali pro corporum principiis salutarunt. Ut jam per plurimis Recentiorum sententiis enumerandis supersedeamus. Prout namque hæc vel illa Scientiæ Chemicæ pars, magis vel minus cuique arrisit, ita etiam principia esse voluerunt. Imo etiam producta cum principiis multos confundisse, illaque pro his venditasse, sæpissime licet observare. Si vero quod res est dicam, nulla tam fixa aut determinata corporum dari posse principia judicamus, ex quibus omnia alia suam ducere originem & in qua illa iterum resolvi debe-

berent. Hoc vero sphæram humanæ cognitionis superare, potius est censendum. Quare omnes, qui certi aliquid in re incerta statuere ad laborarunt, nihil aliud effecere, quam ut huc illucque fluctuarint.

§. VIII.

Denique sub finem de Artificum ruditate, Scientiæ de qua in præsenti sermo est, minus amica, nonnulla disquirere, haud e re esse videtur. Vix enim credi potest, quantum etiam hæc Chemiæ incrementis adjiciat remoræ. Scilicet, hi quamvis quotidiani simplicibus atque notissimis experimentis in suis opificiis detineantur, imo etiam productis subterraneis ad sua opera concinnanda utantur; causas tamen Phænomenorum quotidie sese exserentium profus ignorant. Et quamvis nemo negare queat horum faciliorum experimentorum maximum fore usum, ut his despectis effectuum caussæ vix ac ne vix quidem evolvi queant, in id tamen minime incumbunt aut incumbere valent artifices, ut his adcurate observatis viam ad alia nova atque majora pandant experimenta. Pariter quoque peccare haud parum illi Chemiæ studiosorum sunt censendi, qui vel ad officium experimenta vel caussarum mutuam dependentiam minus adtendunt, facilibus vero & notioribus experimentis omissis, operosa speciosa & intricata solum adsectantur. Plurima enim experimenta quæ ante pedes jacent in ipsis officinis artificum, consideratu omnino sunt dignissima & ad majorem Scientiam adquirendam plurimum conducunt,



MONSIEUR.

Le desir, que j' ai eu, il y a de ja longtems à vous temoigner mon affection, m'a bien souvent mis dans une grande impuissance de penser. Les Obstacles se montrent en toute chose & si la permission & la volonté de la Providence, l'affiduité & le travail des hommes & la culture de l'esprit ne penetrassent plusieurs difficultés à l'egard de l'utilité commune, je croirois en foible, qu'il y auroit quelque impossible dans le possible. C'est vous, Monsieur, qui allez bien loin & sans vous flatter, je puis vous dire, qu'outre la couronne d'honneur, qui vous attend & que vous meritez, la continuation de votre conduite & de votre erudition ne manquera jamais de vous couronner à l'avenir des lauriers bien plus solides. Cest aussi moi, qui ayant profité de vos bonnes instructions, me prend la liberté de vous feliciter & de vous souhaiter la grace de Dieu, qui vous accomplit assurement & qui me rendra habile d'être

MONSIEUR

Votre tres obeissant
serviteur

ANDRE JEAN WALLENSTIerna,